

WOLFGANGUS MUSCULUS.

*In loco comm. de Baptismo.*

**Q**Uòd cereos ardentés adhibent, idq; cláro die, omnino est ex superstitione Ethnica. Usi sunt prisci Christiani cereis ardentibus, sed noctu, quòd non liceret interdiu convenire, nec commodum esset sedere in tenebris. Unde & Hieronymus adversus Vigilantium dicit: Cereos autem non clara luce accendimus, sicuti frustra calumniaris: sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, nec cæci tecum dormiamus in tenebris. Nec illud in usu fuit Apostolis, quòd *exorcismis* inter baptizandum utuntur, quibus Diabolum adjurant, ut ex infantibus baptizandis egrediatur. Faciunt hoc quoque prorsus sine exemplo Christi vel Apostolorum, non solùm quod ritum baptizandi attinet, sed & aliàs in universum. Quis enim illorum unquam Satanam adjuravit, ut egredere-  
tur ex eo, qui peccatis esset obnoxius, & mente, non corpore ab illo obsessus? Dæmoniacos liberarunt Apostoli, præcipientibus spiritibus malis, in nomine JESU CHRISTI, ut exirent de peccatoribus: nihil tale ab illis factum legimus. Non sunt autem adeò dementes adversarii, puto, ut infantes à Satana corporaliter obsessos esse dicant, aliàs oportuisset Chri-

Noctuæ amant tenebras: tenebriones, caliginem, ac proinde solè justitiæ, in ipsa Evangelii luce ultro cæcutientes suis facibus obscurare satagunt.

Exorcismo non profugantur ingenta ex originali peccato vitia.

B V